

Item benedictionem sub throno elato pontificali more, atque affirmativa prodit resolutio. Atq; super hoc punto, ac etiam super materia cappellarum priuatarum, Cardinalium eleganter ac eruditè scriptis, suoque labores posteritati tradidit insignis Cardinalis Episcopus Portuensis. X

Inter omnes dictos ordines respectivè, siue de uno ad alterum, datur oprio, quia scilicet ille, qui ordinem Episcoporum ingressus est, iuxta ordinem antianitatis, pro eius arbitrio in proximo Consistorio post vacationem optare potest alium Episcopatum; Siue primus Presbyter optare ultimum Episcopatum vacantem; Aut inter ipsos Presbyteros vel Diaconos respectivè meliorare titulos, aut ab ordine diaconali facere transitum ad presbyteralem cum prærogatua saltus occupando locum iuxta ordinem antianitatis super alios, qui prius fuerint in ordine presbyterali, perinde ac si ab initio in eo constitutus esset; Dummodo tamen sint presentes in eo Consistorio, cum absentes optandi ius non habeant, nisi Papæ dispensatio accedat.

Super præcedentia, majoribusq; præminentibus Cardinalium supra Patriarchas & Archiepiscopos vel Episcopos apud antiquiores quæstio fuit Y; Hodie tamen sine dubio decisa est, & practicata ad fauorem Cardinalium, eo quia licet inferiores in ordine censeantur, maiores tamen & digniores censendi sunt ratione cuiusdam superioritatis ac iurisdictionis super eos tanquam supremi Senatores Papæ, quamdam participacionem cum eo habentes in regimine Ecclesiæ universalis; Et ex qua ratione magnas quoque obtinent præminentias, & honorificos tractatus cum Regibus, & Principibus, alijsque Magnatibus; Z. Et de alijs ad eorum materiæ videndum erit apud eos, qui formales tractationes super habere professi sunt, cum hæc pro informativa relatione sat videatur insinuasse; Et de aliquibus Cardinaliū exemptionibus in Regalium sede habetur. B

B de benef. dis. II.



De Cardinali superintendentे geniali, seu primo Ministro Papæ.

S V M M A R I V M


- 1 **D**e istius Cardinalis introductione, eiusque munere.
- 2 Cui data proportione assimiletur.
- 3 De aliquibus officiis Regni Neapolitani.
- 4 De

- X. dictus Cardinalis Brancarius disserat, 1. & 7.
Y. Chaffan in cathol. glor. mundi.
Z. litterae de benef. dicta quæst. 8. lib. I.
A. De regalibus dis. 55.

Habet quoque Collegium, ad instar Capitulorum, & Collegiorum inferiorum, quandam massam communem administrari solitam per Cardinalem, qui per turnum singulo quoque anno, vel biennio mutari solet, atque Camerarius appellatur, diuersus tamen à Cardinali Camerario in officium de quo intrat; Istaque massa continet emolumenta galeri cardinalitij, quæ sub vocabulo rotuli explicitantur, atque à iudicio Collegij pendent maiora vel minora emolumenta aliorum officialium Curiae, dum ad Collegium pertinet facere gratias in toto vel in parte de aliquibus expeditioni emolumentis; Ad instar autem distributionis, de illis participant solum Cardinales praesentes in Curia, quales dicuntur ad hunc effectum illi, qui in duobus annis temporibus Veris, & autumni in Curia, etiam per modicum tempus fuerint; Ideoque Cardinales, qui residet in proximiis Episcopatibus pro hac participatione bis in anno per paucos dies ad Vrbem redeunt; Diuersa etenim est illa præsentia, quæ magis rigorose exigitur ut eis aliquæ Regulæ Cancellariae seu priuilegia suffragentur. B

- 4 De causa introductionis huius ministri, & quas partes explicat.
- 5 De eadem, & que personæ ad hoc munus assumi soleant.
- 6 Quod in negotiis statutus vel Principatus temporalis eius munus principaliter perficitur.
- 7 In quibus se ingrat respectu Pontificatus, & Principatus Ecclesiasticis.
- 8 Præbet etiam audienciam Oratoribus, & officialibus, ac alijs.
- 9 Habet viuus votus oraculum generale, & circa quæ
- 10 De facultate subscribendi nomine Papæ per concessum.
- 11 Est solet etiam Legatus Statutus Auenionensis, & de istius Legationis negotiis eiusque Vicelegato.
- 12 Est item Gubernator Principatus Firmani.

D I S C . VI.



N ordinè hyperarchico Magistratum, & Officialium Papæ, & Curie, non reperitur iste officialis, vel Minister, ut potè pendens à consuetudine particulari cuiuslibet Pontificis, qui potest, & quandoque solet, illum non habere, vt nostra ètate, in aliquibus Pontificatibus (saltē ad tempus) praxis docuit, adeòt comparativè, seū cum debita proportione, huic Ministro, seū Officiali, adaptari posse videatur termini Vicarij Generalis Episcopi, qui in ordine hyperarchico antiquorum Canonum non repetitur, quoniam, vt alibi insinuatur A, antiquitus ea quæ Episcopus per se ipsum explicare non poterat, explicabat per duos fixos Adiutores seu Vicarios, id munus habentes in dignitatem, per Archidiaconum scilicet temporalis, & per Archipresbyterum spiritualia; Sed quoniam casus frequenter dabat dissidentias, & inconvenientia, inter Episcopum, & has Dignitates, quæ vtpotè id obtinentes independenter ab Episcopo ex administratione perpetua & necessaria, atque non pendentes ab eius nutu, frequenter contrà cum erigebant caput, idcirco paucatim inoleuit consuetudo particularis

aliquorum Episcoporum, quæ deinde effecta est generalis, quod scilicet Episcopus apud se habere fiduciariū ministerium, qui eius vice multa ad vitramque iurisdictionem spectantia explicaret, atq; ita iurisdictio seu potestas Archidiaconi, & Archipresbyteri euauit restrictaque est ad quædam ceremonia, adeòt ho dierni, quamdam solam imaginem antiquæ dignitatis obtinere videantur.

Idq; in plerisque principatibus secularibus quoq; courigile docemur, quoniam (exemplificando in Regno Neapolitano tanquam principatu viciniori, & Italiz notabiliori, cuius aliqua maior notitia à me habetur), antiquitus ille Rex omnia militaria, politica, & ciuilia negotia explicitabat per septem officiales, id habentes in dignitatem, vt sunt, Comitabilis, Iustitiarius, Cancellarius, Camerarius, Prothonorarius, Admiratus maris, Et Sene scallus; Verum ob eadem inconuenientia, inoleuit usus, quod istorum potestas, vel præminentia, ad nudas intitulationes, aliasq; ceremonias, vel respectuè ad aliquas modicas antiquæ potestatis reliquias redacta est, cum omnia quæ ab eis explicari solebant, explicentur per Vicarium seu Proregem tanquam ministerium fiduciariū ad nutum amouibilem, & per alios inferiores ministros, & officiales; Quinimmò, licet ipse Rex pro negotiis supremæ Cancellariæ Regie, fixum, & perpetuum deputet officiale, substitutum dicti Cancellarij, cui Secretarij Regi nomen tribuitur; Adhuc tamen, aliqua potius forensia negotia per hunc solum explicitur; Politica vero, & gratiofa, ac etiam aliqua forensia, & ciuilia, Vicarius seu Prorex explicat per eius priuatos, ac fiduciarios aulicos Secretarios ad eius nutum deputatos, ac amouibiles, quorum unus, iustitiae pro negotiis ciuibus, Alter vero belli, pro militaribus, vel politicis, appellantur, cum simili bus.

Ita dici posse videtur in hoc magno Principe, duos principatus, ac respectivè unum magnum præfatum administrante, iuxta illam personarum pluralitatem, quæ alibi supra insinuata est B, quoniam post suppressam antiquam magnæ potestatis, & administrationis dignitatem,

Cardinalis Archidiaconi (qualis in primitiva eccl^{esi}a fuit S. Laurentius, qui ut eius martyrij acta docent, omnem temporalem administrationem illi depresso statui proportionatam habebat), omnia negotia explicabantur, quoad præfatum Vrbis per Cardinalem Vicarium, & quoad vrumque principatum, ecclesiasticum, & prophanicum, per Cardinalem Pœnitentiarium, tanquam Vicarium in spiritualibus, & per Cardinalem Camerarium tanquam Vicarium & aconomū in temporalibus, ac per Cardinalem Cancellarium, seu Vicecancellarium, tanquam secretarium ; Verum ob eadem inconuenientia, usus inualuit, quod Papa, pro fiduciariis negotijs, tenere cœpit priuatū aulicum Secretariorum, qualis est ille, qui hodiernus Secretarius Status appellatur, aliosque deputare ministros, & officiales, tanquam substitutos, & adiutores dictorum maiorum officialium id habentium in dignitatem, nempe ; Gubernatorem Vrbis; Auditorem Cameræ; Thesaurarium; Secretarium status ; Et alios Secretarios literarum ad Principes, & Breuiū, aliosq; similes, adeo ut quædā publica, & forensia negotia per dictos primarios Officiales vel Dignitates explicetur, ut infra in singularum magistratuū vel officiorū particularibus rubricis, seu discursibus aduertitur.

Sed quoniam (ita omnium ferè Principum in omnibus facultatibus praxi docente) quædam, si non præcisa, moralis tamē necessitas, eos cogere videtur, habendi unum, vel plures ministros vel assistentes magis confidentes, quibus tutius eorum secreta pandere valent, atque per eos magis fideles rerum informationes obtinere, aliaque explicare, quæ non expedit inferioribus ministris, & officialibus communicari, ut hodiernorum temporum, ac Principum praxis docet, in eo fiduciario ministro, cui pro principatum diversis moribus, priuati, vel primi ministri, aut Secretarij nomen dari solet ; Omnique quo seruatum esse docent chronicæ, ac etiam ipsamet sacra pagina veteris Testamenti, præsertim de Aman & de Ioseph ac alijs ; Hinc eadem necessitas ad idem impulit Papam, qui forte præ omnibus magis indiget maioris fiduciae ministro, cum non proprii principatus tantum negotia tractet (vt

alijs Principes faciunt), sed tanquam omnium Catholicorum Principum pater, qui æquali paterno amore tractare solet de negotijs omnium Principum, quorū aliqui inter se æmuli esse solent, vnde propterea magna circumspectio, magna que fiducia necessaria est ; Hinc propterea assumere consuevit personam secundum carnem magis coniunctam, cui Cardinalis nepotis vocabulum dari solet ; Atque vbi casus præbeat, quod Pontifex nullum habeat per agnationem vel coagnationem coniunctum, tunc calum, affinem, vel extraneum assumere solet, quæ in propriam cooptat familiam, eique illum tribuit denominationem, quam ipse in statu cardinalitio habebat, dum experientia docuit congruum esse, ut iste fiduciarius minister deputetur, vnde propterea bonus quidem, & commendabilis est stylus in genere, quandoque tamen parum commendabilis esse solet, ob aliqua accidentia, quæ ex humana conditione vel fragilitate resulant.

Huius primi ministri munus, iurisdictionale seu publicum, cum actuali aliqui vicariæ iurisdictionis, & potestatis etiam forensis, principaliter versatur, circa regimen dominij seu principatus temporalis ; Ideoque dicitur superintendens generalis Status ecclesiastici, vnde propterea subscribit literas, aliasque prouisiones, quæ nomine Papæ dantur, pro dicti principatus temporalis regimine, & administratione, tam per Secretarium status, quam etiam per Congregationes Consultæ, & Boni Regiminis, & alias, quæ pro eodem temporali gubernio erexit, sunt ut infra, in singulis Magistratum, & Congregationum Rubricis .

Bene verūm quod etiam (licet rarius) se ingerit circa ea, quæ maiorem principatum ecclesiasticum, seu pontificium, concernunt ; Non quidem circa vsum clavium, ac merè spiritualem administrationem, vi (exempli gratia) sunt collationes beneficiorum, prouisiones Ecclesiastarum, & dispensationes, ac similia, cum hac per organa, Datariæ, & Cancellariæ, & Secretariæ brevium, sive per illa Sacrarum Congregationum explicari soleant, sed circa ea, quæ concernunt politicæ, ac etiam aliqua ciuilia, cum Regibus,

bus, & Principibus, eorumque Vicarijs, & Magistratibus maioribus, ac etiam cū ipsius Apostolicæ Sedis, Legatis, & Nunzijs, alijsque ministris ; Et quandoque etiam cum Episcopis, & Metropolitanis, pro Papæ placito, ac arbitrio.

Prout etiam in Curia, Regum, & Principum Oratores, ac etiam eiusdem Curiae Officiales, & Magistratus, qui statutis diebus ad Papæ audientiam admittuntur, illa expleta, huic primo ministro immediate, eiusdem Papæ oracula, & sensus, vel respectiū, eorum præces, ac instantias communicant ; Ac etiam illi officiales, vel personæ priuatae, qui ad audienciam Papæ non admissi, aliquid ab eo petant, vel ei communicare velint, cum hoc primo, ac fiduciario ministro tractant ; Vnde propterea contingit, quod à Prælatis, & à nobilibus viris, etiā ordinis magnatij, alijsque curialibus, & aulicis, in horis audiencie, magnum ei præstetur obsequium, cum assistentia in aula exteriori, quæ vulgo anticameræ dicitur ; Quod etiam aliorum magnorum Regum & Principum primis ministris, frequentius est commune.

In isto autem primo adeoque qualificato ministro, extra quæstionem est via vocis oraculum generale, quod in alijs officialibus, & magistratibus est sub quæstione, vel est restrictum ad pertinenzia ad officium tantum, ut intra in eorum singulis Rubricis aduertitur ; Iis tamen exceptis, quæ regulariter per dicta organa, sive per supplicationes Papæ manu signatas, explicari solent, (quoniā stylo in huiusmodi rebus nimium deferrendum est) ; Vnde propterea, quando ob infirmam valetudinem, vel ob aliud impedimentum Papæ, huiusmodi negotia, pro consueto stilo explicari non possunt, tunc idem Pontifex, huic ministro, vel alteri sibi beneuise personæ, facultates communicat subscribendi eius vice, ac nomine, ut vulgo dicitur, per concessum, de quo agitur infra in Rubrica Datarij.

Iste Cardinalis nepos, qui in Palatio Apostolico apud Papam, cum secreto fiduciario ingressu, moratur, & assistit, pro frequentiori usu, obtinet etiam Apo-

stolicam legationem Status Auenionensis, & Comitatus Venafini in Gallia, tāque ibi exercet per Prælatum, leius substitutum, qui non ab ipso, sed à Papa depuratur, cui Vicelegati nomen tribuitur, isque omnia iura, & facultates Legati ibi exercet, etiam in aliquorum beneficiorum referuatorum collatione. C

Ab eo tamen dantur appellationes, vel recursus ad ipsum Legatum, qui proinde, per eius Auditorem, vel per se ipsum, aut per alios particulares delegatos, causas appellationis cognoscit, earum aliquas grauiores in Rota quoque commitendo ; Atque ab aliquo moderno tempore, Congregatio ex aliquibus Prælatis, & Curialibus erecta est, quæ Auenionensis dicitur, pro illius principatus negotijs melius pertractandis.

Obtinere quoque solet regimen, & administrationem Principatus Firmanni, quem pariformiter regit per Prælatum substitutum, sub nomine Gouvernatoris, cum appellationibus, & recursibus ut supra, ob diuersos stylos ; Aliaque obtinet munera, pro Papæ placito, ac maiori, vel minori benevolentia vel fiducia, ex qua huius ministri, maior, vel minor auctoritas pendet, ut omnium aliorum principatum praxis docet.

C. sub tit. de benefic. disc. 27. ubi de ista collatione .



De Secretario Status ; Ac etiam de Secretario Breuium ; Alijsque Secretariis, qui Papæ assistunt in Palatio ; Et de Collegio Secretariorum Apostolicorum .